

DE REDDENDO BENEFICIO.

Pulchrum quoque est propensio-rem ejus haberi rationem, qui tibi aut beneficium aliquod, aut munus contulit, si ipse in necessitatem incidit. Quid enim tam contra officium, quam non reddere quod acceperis? Nec mensura pari, sed uberiore reddendum arbitror, et usum pensare beneficii; ut et tu subvenias, quantum ejus ærumnam repellas. Etenim superiorem non esse in referendo quam in conferendo beneficio, hoc est minorem esse; quoniam qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior. Unde imitanda nobis est in hoc quoque natura terrarum, quæ susceptum semen multiplicatori solet numero reddere quam acceperit. Ideo tibi scriptum est: «Sicut agricultura est homo insipiens, et tanquam vinea homo egens sensu. Si reliqueris eum, desolabitur.»¹⁾ Sicut agricultura ergo etiam sapiens, ut tanquam fœnerata sibi majore mensura semina suscepta restituat. Terra ergo aut spontaneos fructus germinat, aut creditos uberiore cumulo refundit ac reddit. Utrumque debes quodam hæreditario usu parentis, ne relinquantur sicut infœcundus ager. Esto tamen ut aliquis excusare possit quod non dederit, quomodo excusare potest quod non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere vero non licet. Ideo pulchre Salomon ait: «Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige ea, quæ apponuntur tibi: et mitte manum tuam sciens quod oportet te talia præparare. Si autem insatibialis es, noli concupiscere escas ejus; hæc enim obtinent vitam fallacem.»²⁾ Quas nos imitari cupientes sententias, scripsimus. Conferre gratiam bonum est: at qui referre nescit, durissimus. Humanitatis exemplum ipsa terra suggerit. Spontaneos fructus ministrat quos non severis, multiplicatum quoque reddit quod acceperit. Negare tibi pecuniam numeratam non licet, quomodo licet acceptam

1) Prov. 24. 2) Prov. 23.